



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. Quid sit Spes, & quàm certa: quódque objectum materiale, & formale ejusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

otiosus, & superfluous: adeoque non manet. Quin imò habitus spei destruitur in peccatore, in statu viæ desperante: quanto magis destruetur in æternum desperatis in termino?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

720. **O**B. 1. contra 4. conclusionem. *Jacob. 2. v. 19.* dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt*: atqui ibi est sermo de vera fide supernaturali: ergo. prob. mi. Apostolus supponit, fidem dæmonum esse talem, qualis est fides Christianorum, quæ est supernaturalis; alias male inferret, ex inutili fide dæmonum sine operibus, etiam inutilem esse fidem Christianorum sine operibus: ergo. Resp. 1. cum quibusdam apud Lugo *de fide disp. 17. n. 11.* illud *credunt* significare idem, ac *crediderunt*: scilicet, dum erant in viâ, non autem postea; est enim apud Hebræos modus familiarissimus, ponendi unum tempus pro alio: sic illud *Luc. 7. v. 47.* *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*: explicatur à SS. Ambrosio, Chrysostomo, Beda, Euthymio, Theophilacto, minus dilexit.

Resp. 2. neg. mi. ad prob. neg. ant. Apostolus non æquiparat utramque hanc fidem in eo, quod supernaturalis sit, sed quod utraque sine operibus sit inutilis: sive de in supernaturalis sit, sive non: &, ut ait Cornelius *in hunc locum*, vult dicere: quid prodest tibi fides tua sine operibus? tam parum, quam dæmonibus sua: licet non sit in omnibus paritas: & hæc est communis responsio teste Lugo *de fide disp. 17. n. 12.* Quamvis autem hac ratione ex fide dæmonum non probaretur valde efficaciter inutilitas fidei supernaturalis, ait Lugo *cod. n. 12.* eam ab Apostolo aliis argumentis ibidem probari.

721. Ob. 2. contra 6. conclusionem. Beati, etsi non possint sperare DEUM, hic, & nunc possidendum, possunt tamen sperare eum in æternum à se possidendum; nam tempus futurum, & possessio futura, nondum possidetur: ergo Beati possunt elicere actum spei primum, scilicet desiderium fiduciale circa ipsum DEUM. Resp. cum Suarez *de virtutib. Theol. tr. 2. de spe disp. 1. sec. 8. n. 5.* nego suppositum; æternitas enim DEI est ipse DEUS: ergo, dum possidetur ipse, jam possidetur ejus æternitas tota simul. Si autem illud *in æternum* appelleret super possessionem, quasi diceretur, posse sperari æternam possessionem DEI. Resp. cum Beati sint certissimi de perpetuitate possessionis, eaque immutabiliter ipsis à DEO concessa sit, saltem in radice, quatenus ipsis concessum est lumen gloriæ, quod eam exigit, non possunt eam amplius sperare, ex eo; quia non est amplius bonum arduum,

prout requiritur ad spem, ex dictis *n. 718.* Possunt enim Beati beatitudinem, & ejus ulteriorem semper continuationem, habere viribus propriis: non quidem viribus ex natura propriis, sed tamen propriis ex gratia, jam immutabiliter ipsis concessa. Licet autem requiratur adhuc concursus DEI, hoc non impedit, quò minus dicantur Beati viribus propriis beatitudinem habere: modò is concursus debeat, ut debetur lumini gloriæ; alias neque quidquam naturale possemus viribus propriis efficere. Adde, quod Beati non possint, eam possessionem perdere; unde, licet possint ulterius desiderare visionem in futurum, tamen non possunt, eam sperare per actum saltem primum; quia eam jam immutabiliter, & inamissibiliter habent: quidquid sit, an tale desiderium dicendum sit actus spei secundarius &c.

DISPUTATIO VI.

De Spe, & Charitate Theologica.

722. **P**Lura jam antè de spe, & charitate disputavimus, ex occasione. Sic habitum spei Theologicum dari probatum est à *n. 8.* Eum distinctum esse à fide, probatum *ibidem*, & iterum *n. 16.* Quodnam sit ejus subiectum, expositum fuit à *n. 716.* Præceptum actus spei eliciendi explicatum est à *n. 607.* Pari ratione dari habitum charitatis, eumque Theologicum esse, probatum est *n. 8.* Ab aliis habitibus eum distingui est *eodem numero* ostensum, & iterum ex Tridentino *n. 702. & seq.* ubi ex Concilio hoc probavimus, habitum charitatis ab habitibus fidei, & spei, separabilem esse. De præcepto charitatis egimus *a. n. 607. & seq.* uti & de ejus subiecto à *n. 709.* Restant paucula de spe, & charitate, in elencho præscripta, quæ paucis etiam absolvemus.

QUESTIO I.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Habitus Spei.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes, & quàm certa, quodque Objectum Materiale, & Formale ejusdem.

723. **D**ico 1. *Actus Spei Theologica* rectè definitur, *Desiderium fiduciale supernaturale beatitudinis superne, DEO auxiliatori innixum.* ita ferè quoad verba Gormaz *tract. de spe disp. 1. n. 10.* & alii communissimè quoad sensum. Explicatur, & simul probatur hæc definitio, seu descriptio. Dicitur 1. *desiderium*, quod aliud non est, quàm amor concupiscentiæ, sive amor rei ut nobis bonæ, nondum possessæ, cum appetitu eam habendi

habendi, qui amor dicitur *desiderium*: sicut amor concupiscentiæ rei jam possessæ dicitur *gaudium concupiscentiæ*: atqui actus spei fertur in DEUM nondum possessum, cumque amando amore concupiscentiæ, seu ut sibi desideranti bonum, cupit habere, seu possidere.

Dicitur 2. *fiduciale*; quia spes debet esse cum fiducia rem acquirendi: & per hoc differt à desperatione, quæ etiam est desiderium, sed sine fiducia, & propterea habet aliam intrinsecè tendentiam, quæ patet ab experientia, qua experimur, nos longè aliter affectos esse, quando speramus, quam quando desperamus: prior affectus, utpote conjunctus cum fiducia, excitat ad agendum, quod ex parte nostrâ necessarium est, ad rem obtinendam: alter; quia est sine fiducia implet sæpe rabie, & non est sollicitus de aliquo agendo. Dicitur 3. *supernaturale*; quia actus spei Theologicæ est supernaturalis ex Tridentino citato n. 680.

724. Dicitur 4. *supernæ beatitudinis*, hoc est, DEI per visionem, & amorem possidendi; si enim alia speramus, non referendo ea ad DEUM, non est actus spei Theologicæ, sed tantum spei alicujus moralis. Si autem alia speramus in ordine ad DEUM, tunc magis hunc ipsum speramus: sicut, si diligimus proximum propter DEUM, etiam hunc ipsum, & magis diligimus. Ubi nota, quod non tantum desideretur, seu speretur beatitudo formalis in abstracto, sed etiam objectiva in concreto, scilicet DEUS possidendus, seu videndus, & amandus; non enim speratur solus DEUS, qui est *finis qui*, seu objectum beatificum possidendum: nec speratur sola visio, & amor, seu beatitudo formalis, quæ est *finis quo*, seu possessio intentionalis DEI: sed speratur utrumque in concreto, seu in complexo.

Sicut, qui sperat pecunias, non tantum sperat possessionem, sed etiam ipsas pecunias: & sicut etiam, qui vult intentionaliter possidere, hoc est, videre spectaculum, non tantum vult visionem præstigiosam, sed vult etiam ipsas res esse tales: etsi non semper velit, e. g. hos in individuo actores comædiæ; quia etiam non desiderat hanc visionem, seu spectaculum in individuo, sed tantum in genere, vel specie. Hoc autem complexum, ex bono objectivo, & possessione ejus, dicitur etiam *finis cuius*, hoc est, cujus obtinendi gratiâ aliquid agitur, vel qui obtinendus speratur; sicut ipse sperans dicitur *finis cui*, seu in cujus commodum appetitur aliquod bonum. vide etiam dicta inferius n. 739. & 740.

725. Dicitur tandem *DEO auxiliatori inmixtum*; quia, cum solis viribus naturæ non possimus beatitudinem supernam consequi (in quo, ut diximus n. 718. stat arduitas objecti spei Theologicæ) debemus juvari à DEO: cumque hic auxilium promiserit, meritò nostra fiducia ejus auxilio, vel ipsi auxilium promittenti, & (nisi ex nostra parte detur impedimentum) certissime collaturo, innititur. Ex quibus facile

colligitur definitio, seu descriptio habitus spei: scilicet *habitus spei est virtus Theologica, elicitiva desiderii fiducialis &c.* qui actus cum sit actus voluntatis, etiam spes est habitus voluntatis, & non intellectus.

726. Dico 2. Objectum materiale primarium spei est ipse DEUS possidendus, sive est concretum ex DEO, & ejus visione, ac amore (hoc enim complexum, ut diximus, per actum spei primario desideramus) alia autem, quæ sperantur in ordine ad DEUM consequendum, e. g. auxiliantes gratiæ, sunt objectum secundarium. ita clarè S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 5. in corp. dicens: *Spei, in quantum est virtus, principale ejus objectum est DEUS. & ad 1. Quæcumque alia spes adipisci expectat, sperat in ordine ad DEUM.* Si autem daretur aliquis actus desiderii fiducialis, qui nullo modo attingeret DEUM, non esset actus spei Theologicæ, sed moralis, ut jam dictum: nisi velis dicere, tale desiderium esse aliquando actum spei virtualis, seu objectivæ (quales n. 43. diximus dari actus fidei objectivæ,) qui scilicet supponant actum spei Theologicæ formaliter talem præcessisse.

727. Debet autem objectum spei Theologicæ, ex communi Theologorum esse arduum, quæ arduitas, saltem in ordine ad actum spei Theologicæ (quidquid sit de actibus spei alicujus moralis:) ex S. Thoma, & communi aliorum, stat in eo, quod (ut dictum n. 718.) objectum ejus solis viribus propriis non sit obtinibile. Item debet objectum spei esse futurum, hoc est, nondum possessum, saltem pro eodem signo naturæ, in quo speratur, ut explicatum n. 716. Debet etiam posse certò obtineri: quia autem certitudine, dicemus paulò post. Hæc omnia complectitur S. Thomas. 2. 2. q. 17. a. 1. in corp. dicens: *Objectum spei est bonum, futurum, arduum, possibile haberi.*

728. Dico 3. Objectum formale actus spei Theologicæ, quatenus est desiderium, est ipsa bonitas DEI possidendi, ut bona nobis. ita omnes. Prob. Hæc bonitas est ratio formalis motiva, cur DEUM nobis amemus, & desideremus: sicut etiam aliarum rerum, si quas desideramus, bonitas ut bona nobis, est ratio, cur eas per alios actus spei moralis, vel qualescunque appetamus. Quando autem tales res appetimus in ordine ad DEUM, potest earum bonitas, ut ait Gornaz de spe n. 19. esse objectum formale quod secundarium, & non ultimum; quia ulterius tanquam medium refertur, ad bonitatem DEI, tanquam objectum formale, seu finem ultimum.

729. Dico 4. Objectum formale actus spei Theologicæ, quatenus hæc est fiducia, est fidelissima promissio DEI, & potentia auxiliandi, vel etiam ipsum auxilium creatum: sicut scilicet in fide, præter auctoritatem Divinam, etiam motivum est revelatio extrinseca creata; nam virtus Theologica, ut jam de fide dictum n. 137. non respuit omne partiale motivum, vel objectum formale creatum: sed tantum exigit aliquod Divinum,

num. Quòd autem promissio, & potentia DEI, vel ejus auxilium, sint objectum formale spei, quatenus est fiducia, probatur ex eo; quòd ista moveant ad concipiendam fiduciam, ad quam non moveret sola bonitas; nam hanc etiam agnoscit damnatus; quia tamen simul scit, quòd DEUS eum nolit juvare, ad eam consequendam, hinc non sperat, sed desperat.

730. Ubi tamen adverto, motivum fiduciae, saltem in genere loquendo, non debere esse objectum formale quod, seu amatum, aut desideratum; nam potest esse aliquando peccatum alterius, quod sperans, nec amat, nec desiderat, sed tantum supponit; e. g. si quis ob peccatum officio suo excidit, potest alius fiduciam concipere illud assequendi: potest verosimiliter etiam contingere, ut quis, dum sperat supernam beatitudinem, seu DEUM ut bonum sibi, tamen non amet DEUM ut auxiliantem, seu sub ista formalitate: neque etiam tunc amet, aut desideret auxilia; quia non agnoscit, ea pro tunc sibi esse necessaria.

Imò, si contingat (quod non nego posse, & fors etiam sæpius actu contingere) ut quis motiva fiduciae etiam amet amore concupiscentiae, atque desideret: tamen etiam tunc non videntur, ea motiva esse objectum formale quod, respectu formalitatis fiduciae, sed potius esse objectum materiale, vel formale secundarium, respectu formalitatis desiderij, vel amoris concupiscentiae, quatenus amantur ut bona conducentia ad DEUM consequendum. Saltem sufficit, ut motivum fiduciae sit objectum formale quo, hoc est, movens quidem voluntatem ad amandum alterum, quin tamen ipsum ametur, ut jam explicatum hoc tractatu n. 4. & iterum n. 14.

731. Dico. 5. Actus spei Theologicae est omnino certus. ita communissimè Theologi cum S. Thoma. 2. 2. q. 18. a. 4. in corp. ubi S. Doctor sapientissimè distinguit inter certitudinem essentialiter talem, & participativè talem: per quos terminos, ut patet ex contextu, intelligit certitudinem formaliter, & praesuppositivè talem. Docet autem, spem non habere certitudinem essentialiter talem, quæ, ut ibidem Angelicus scribit, invenitur in vi cognoscitiva, seu in cognitione; est enim certitudo quasi securitas de veritate, quæ spectat ad intellectum: at verò, ait, in spe dari certitudinem participativè, seu praesuppositivè talem; quia scilicet spes à vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum, hoc est, à cognitione certa dirigitur ad bonum speratum: & concludit S. Doctor sic: *Et sic etiam spes certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide, quæ est in vi cognoscitiva.*

732. Prob. conclusio. Spes Theologica debet esse firma, ut ait Apostolus 2. Cor. 1. v. 7. *Ut spes nostra firma sit pro vobis.* & ad Hebr. 6. v. 18. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam, sicut anchoram habemus animæ, tutam, ac firmam.* Triden-

tinum quoque sess. 6. c. 13. ait: *De perseverantia munere . . . nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tamen si in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent:* atqui spes non potest esse firma, nisi sit praesuppositivè certa: ergo debet esse talis. mi. prob. voluntas non potest firmiter, hoc est, absque vacillatione, sive immobili cum fiducia, sperare, nisi intellectus ei firmiter, hoc est, certò, proponat fundamentum, & motivum sperandi, ita, ut absque dubio affirmet, tale fundamentum adeste, ut est clarum ab experientia: ergo debet intellectus per cognitionem certam proponere motivum spei, adeoque hæc praesuppositivè esse certa. Confir. solidissimè. Actum spei Theologicae praecedere debet actus fidei de promissione DEI, dandi auxilia, ad consequendam beatitudinem: hic actus est certissimus: ergo etiam spes est, ut dictum, praesuppositivè certissima.

733. Ubi tamen notandum, firmiter sperare non esse absoluta certitudine sibi polliceri, se rem, e. g. beatitudinem consecuturum; hoc enim non est certum, minùs revelatum, aut per actum fidei propositum: sed est contra Tridentinum num. preced. citatum: imò etiam contra Apostolum, qui ad Philipp. 2. v. 12. sic scribit: *Cum metu, & tremore, vestram salutem operamini;* nam non sumus certi, an ex nostra parte nihil sit defuturum: & hinc S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 4. ad 3. ait: *Quod aliqui habentes spem deficiant à consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrij, ponentis obstaculum peccati: non autem ex defectu Divinae potentiae, vel misericordiae, cui spes innititur.*

Quare sperare tantum est, confidere, se certissimò rem, e. g. beatitudinem, consecuturum, si suis partibus ipse non desit, seu si gratiae DEI fideliter cooperetur: id quod certissimum est: & hinc Tridentinum verbis n. 732. adductis statim addit: *DEUS enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet.* Unde actus spei Theologicae de objectis promissis certissimus est in tantum, in quantum illa à DEO promissa sunt, scilicet conditionatè. Hinc alii dicunt, actum spei conditionatè certissimum esse. Et revera conditio supradicta semper subintelligitur, nisi in casu extraordinario DEUS alicui beatitudinem æternam omnino absolute promississet.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

734. O B. I. S. Augustinus in enchiridio c. 8. ait: *Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud, quàm sperantur:* ergo credere est sperare, adeoque actus spei est actus intellectus. Idem hinc inde tradunt alii Patres. Confir. 1. Desperatio est actus intellectus, quo quis judicat, se beatitudinem non consecu-